fecundo: nostram potiùs commemoremus, cui unquam
contigit de quiete, de mercede, de lucro somniare qui
laboris expers fuit? nolo vos Auditores mittere ad
Garamanthas et Indos ut veritatem exploretis, inspicite
omnium Artificum officinas, cernetis ut faber ferrarius,
ut faber lignarius pro sua mercede laborare contendant!
hic dolabrâ suâ durissimos asseres percurrit, ille minaci
malleo quæq; asperrima emollit, hic manus suas defati-
gat ligna dissecando, ille ferrum contundendo, hic in-
curvata dirigit, ille directa incurvat, omitto Textores
omitto Victores atq; alios, cuiq; suus labor, cuiq; sua
ex labore merces est, ignorabimus scilicet etiam magno
sudore opus esse ad liberalium artium perfectionem
contingere? constat iam sæpius decantatum fuisse illum
optimi Poëtæ versum: Non iacet in molli veneranda
scientia lecto: Vellem hîc Isocrates aliquis aut Cicero
quispiam loqueretur quantæ difficultatis sit vel mini-
mam adipisci scientiam, sed sæpè obmutescat, satis enim
ex puero quodam, qui modò studiorum suorum tyrocinia
posuit, colligere possumus, in quem si oculos conjicere
volumus quis non videat illius ardum in discendo laborem!
ingenium rude hebetat, lingua balbutiens pronunciare